

Hebræorum est sententia nullum in templo ministerium vicuarum imo nec aliarum peragi opera feminarum potuisse.

§. 2.

Error autem interpretum natus esse videtur ex non satis intellectis scripturæ sententiis. Licet enim de Hanna dicatur quod non recesserit de templo *Luc. 2. v. 37.* tamen hoc ita intelligendum est, quod quamdiu sacra in templo peragerentur, istis sacris Hanna inter fuerit, non quod in templo ministrarit.

§. 3.

Nec *1. Sam. 2. v. 22.* ministrasse feminas coram tabernaculo asseritur in Hebræo textu, sed dicitur filios Eli, prout erant malæ, notæ homines consuevisse cum feminis, quæ ante ostium tabernaculi commorabantur, i. e. cum novellis puerperis, quæ ante ostium tabernaculi expectabant tempus, quo offerre sua sacrificia turturum columbarumque possent. Quando autem in versione germanica